

Nf. 24.

55

REGIAE  
FRIDERICIANAE ACADEMIAE  
PRORECTOR  
**D. PAVLVS  
ANTONIVS,**

Serenissimi & Potentissimi Regis Borus-  
siae in Ducatu Magdeburg. Consil. Eccles. & S. S.  
Theol. Prof. Publ. Ordin. nec non Dioeceseos  
primæ Sal. Inspector,

Vna cum  
PROFESSORIBVS RELIQVIS  
CIVES ACADEMICOS  
ad dies festos,  
MEMORIAE  
RESVRRECTIONIS CHRISTI *be.*  
celebrandæ destinatos,  
Omnes ac singulos humanissime  
hortatur.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ  
Typis CHRISIOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typogr.

Vivit Dominus, & benedicta sit Petra nostra!  
 & exaltetur Deus salutis nostrae!



Estum nunc rite ac pie celebran-  
 dum vobis indicimus, CIVES ACADE-  
 MICI! quod non nuper, aut sequioribus  
 demum saeculis receptum, sed iam primis  
 Ecclesiae Christianae temporibus, immo  
 sub umbra etiam V. T. inde ab exitu Isra-  
 elitarum ex Aegypto, observatum & ce-  
 lebratum fuit. Festum nimirum Paschale,  
 siue gloriose resurrectionis Domini ac Servatoris nostri IESU CHRIS-  
 TI; qua omnis nostra fidelium spes ac vita, salus & immor-  
 talitas vere nititur. α) Η ποθεινή & η σωτήριος εορτή, η αναστάσι-  
 μος ημερα τῆς Κυρίας ημῶν Ιησὺ Χριστῷ. η τῆς εἰρήνης ὑπ' ὀφθεις, η  
 τῆς καταλλαγῆς ἀφοσμή, η τῶν πολέμων ἀνάσσεις, η τῆς θανά-  
 τος κατάλυσις, η τῆς διαβόλης ἡτῆλα. Exortatur illud adhibet & salutare  
 festum, dies resurrectionis Domini nostri Iesu Christi; pacis fundamen-  
 tum, reconciliationis occasio, bellorum sublatio, moris destructio, dia-  
 boli clades: ut more suo copiose ac pulchre de eo dixit B. Ioan-  
 nes Chrysostomus. b)

Nec immerito sub umbra Veteris Testamenti quoque illud  
 observatum esse affirmavimus, qui & nomen ex veteri oecono-  
 mia retinimus, & rem, figuris significatam, habemus. Etenim  
 quum magnus ille veritatis praeco & gentium in fide magister,  
 Paulus Apostolus, in I ad Cor. V, 7. 8. sic scribit; τὸ γὰρ πάχα  
 ημῶν ὑπὲρ ημῶν ἐθύθη Χριστός, ὡς εορτάζωμεν μὴ ἐν ζύμῃ παλαιᾷ,  
 μηδὲ ἐν ζύμῃ κακίας & πονηρίας, ἀλλ' ἐν ἀζύμοις εὐληκείας & ἀλη-  
 θείας. Pascha enim nostrum pro nobis immolatum est, CHRISTVS. Itaque  
 festum agamus non in fermento veteri, neque in fermento malitiae &  
 nequitiae, sed in azymis sinceritatis & veritatis: ecquid illud est, nisi  
 eui-

a) Vide 1 Cor. XV, 3. seqq. 1 Pet. I, 3. &c.  
 stum Pascha, p. m. 535.

b) tomo VI. homilia in sa-

euidens typi ad suum antitypum relatio, & brevis ac solida illius explicatio? In qua ipsum nomen, terminatione sua, ex usu sæculi Apostolici inter Iudæos, Chaldaicum אֲגֻנִּים, origine autem Hebræum פֶּסַח, *Pasch e*) idque sicut Exod. XII, 21. &c. de agno paschali hic intelligendum, *Agnum illum Dei, qui tollit peccata mundi* Ioh. I, 29 verbum autem ἐθύθη, cruentas eius passiones & mortem, ἐογράζωμεν vero, ac reliqua, festiua lætitiā piorum *d*) ob Redemptorem suum e vinculis mortis solutum, significant. Sicut enim *CHRISTVS pro peccatis nostris, vt illa expiaret, traditus in mortem est*, ita etiam ad nostram iustificacionem *resuscitatus ad perpetuam vitam fuit*. Rom. IV, 25. c. VI, 9. Quod immortale illius meritum, & duplex nobis factum beneficium, veteres sancte agnoscentes, *duplex etiam Pascha* quocunq; celebrarunt: alterum cum ieiuniis & precibus, die sexta hebdomadis, (quam & παρασκευὴν ἢ *Parasceuen* vocabant) σταυρώσμον, h. e. *in crucem acti & mactati*; alterum ἀναστάσιμον, siue sua & Patris diuina virtute *resuscitati* memoriæ sacratum. De quo tamen in præsens vel idcirco plura non addimus, quod iam alio tempore ea de re, vt etiam de veritate ac virtute resurrectionis Dominicæ &c. pluribus edocli estis. *r*)

Istud breuiter solum explicare pergemus, quod de solemnitate huius festi antiquitate ab initio monuimus. Nimirum ipsa quoque *Dominica diei* adpellatio, quam, (ceu æuo suo iam vulgarem, ac satis cognitam, minimeque a Constantino M. demum inuentam aut usurpatam,) ipse Apostolus, Euangelista & Prophetæ N. T. *Ioannes* adhibuit Apoc. I, 10. & notabilis eiusdem a resurrectione Christi obseruatio *f*) eum quoque finem potissimum

A 2

e) i. e. *Transitus* ἢ *preteritio*, ab effectu, coll. Exod. XII, 11. 13. d) Pl. CXVIII, 15. 16. 17. e) Vid. Venerand. D. A. Breithaupti & D. Prof. Franckii Programmata, f) Conf. e. c. Ioh. XX, 1. 26. Act. II, 1. c. XX, 7. 1 Cor. XVI, 2. vbi Theophylactus: Μὴν σαββάτων τὴν Κορινητὴν καλεῖ, ἀπὸ τῆς τῶν πρώτων τῶν τῶν σαββάτων, ἢ τοῦ τῆς ἐβδομάδος. Adde ex initio sæculi II. Plinium lib. X. Epist. 97. *Adfirmabant lapsi a fide, hanc fuisse summam vel culpe sue, vel erroris, quod essent soliti STATO DIE ante luessem, conuenire, carmenque CHRISTO, quasi Deo, dicere secum iniucem &c.*

Sic

num habuit, vt incomparabilis triumphus, æternæque victoriæ CHRISTI de peccato, morte & inferno, solemnibus & perpetua inter Christianos exstaret & vigeret memoria g).

Neque enim, quod hic obiter tangimus, tam in veteris *Iudaici Sabbati* locum successit Dominica dies; quam vt Apostoli, & pro libertate, in quam nos CHRISTVS adferuit Gal. V, 1. & simul pro antiquissimo ac diuino instituto b) primum hunc hebdomadæ, & sic etiam septimum quemque diem, memoriæ resurrectionis Dominicæ, diuinisque exercitiis dedicarent, docentes, quomodo erepti e manu hostium nostrorum nunc omnibus diebus *vita nostra sine metu DEO seruire queamus in sanctitate & iustitia coram ipso*. Luc. I, 74. 75. Etsi enim Apostoli cum ceteris ritibus Sabbathum quoque Iudæorum, propter imbecillos ex Iudaismo, sine tamen Iudaica superstitione, obseruarunt; quod & gentium Apostolum fecisse, ex Act. XIII, 14. 42. 44. c. XVI, 13. aliisque locis certum est; vt videlicet in eorum salutem omnibus omnia fierent I Cor. IX, 19--23. quantum salua Euangelii veritate licebat Gal. II, 5. attamen cum non cessarent, sicut fecerant circa A. C. 49. *quidam ex Iudæa Antiochiam venientes* Act. XV, 1. ita etiam deinceps aliis quoque in locis, nonnulli *falsi fratres* Gal. II, 4. *urbare* animos credentium in Christum, & Euangelii veritatem *peruertere* Gal. I, 7. atque vna cum circumcissione Sabbathi etiam Iudaici obseruationem, tanquam *ad salutem necessariam* vrgere; periculoso istorum conatui fortiter sese opposuit Apostolus in epistola ad Galatas circa A. C. 57. vel sequentem scripta i), idemque postea fecit, cum alibi, tum ad Colossenses c. II, 16. circa A. C. 62. diferte scribens: *Μὴ ἐν τις ὑμᾶς κρινέτω ἐν*

Sic e medio sæculi II. B. Iustinus Martyr, Apol. II. p. m. 98. *ἐν τῇ τῷ ἡ-  
δίε λεγομένη ἡμέρᾳ πάντων, κατὰ πόδας ἢ ἀγῶς μόνων, ἐπὶ τὸ αὐτὸ συν-  
λευρίσθησας.* Et Solis, qui dicitur, die, omnium, qui vel in oppidis vel ruri  
degunt, in eundem locum conuentus fit. &c. g) Iustinus Martyr l. c. p.  
99. Solis autem die communiter omnes conuentum agimus, quia is primus  
dies est, quo Deus, tenebris & materia versa, mundum effecit, & IESVS CHRI-  
STVS Seruator noster eo ipso die a mortuis resurrexit &c. h) Gen. II,  
3. coll. c. VII, 4-10. c. VIII, 10. 12. &c. & Exod. XX, 8. seqq. i) Vid.  
Gal. I, 7. 8. 9. coll. c. IV, 10. 31. &c.

ἐν βρώσει, ἢ ἐν πόσει, ἢ ἐν μέρει ἑορτῆς ἢ νημυρίας, ἢ σαββάτων, ἃ ἔστι σκιά τῶν μελλόντων, τὸ δὲ σῶμα τῷ χριστῷ. Ut de aliis ipsius testimoniiis pro euangelica libertate breuitatis causa nunc taceamus.

Ipsimet illorum, aduersus quos certamen Apostolo fuit, Pharisaizantium, siue semichristianorum ex Iudaismo, sequaces ac posterius, *Ebionai*, h. e. עביונין *pauperes* ac miseri per contemptum ab aliis Iudæis dicti, k) tñ vestigia antecessorum suorum premerent, & necessitatem obseruandæ Legis ac Sabbati strenue vgerent, ὡς μὴ ἀνδιὰ μόνης εἰς χριστὸν πίστεως, καὶ τὴν κατ' αὐτὴν βίβιν σωθησόμενοι, quasi per solam in Christum fidem, vitamque ex ea fide inuictam, salutem consequi non valerent; adeoque & Sabbathum, & alios ritus Iudæicos, non secus ac ipsi Iudæi obseruarent; ταῖς δ' αὖ κυριακαῖς ἡμέραις ἡμῖν τὰ παραπλήσια εἰς μνήμην τῆς τῷ Κυρίῳ ἀναστάσεως ἐπέτελαν, nihilominus tamen etiam Dominici diebus eadem, qua nos, IN MEMORIAM RESURRECTIONIS DOMINI peragebant; vt de illis refert Eusebius Hist. Eccles. lib. III. c. 27.

Ac licet etiam sequentibus primis sæculis die Sabbati ex libertate sua ad preces & sacras lectiones conuenirent in variis partibus Orbis, saltem Orientis, Christiani homines, hodieque in Habassia ita faciant Aethiopes; non tamen Iudaico ritu id fit, aut factum est; sed potior semper inter vere Christianos Dominica diei solemnitas fuit. l) Ita sane satis vetustus interpolator Epistolarum Ignatii, cum c. IX. ad Magnesianos, quomodo Sabbathum non Iudaico ritu, sed spiritualiter, verbi diuini meditatione, celebrari oporteat, pluribus docuisset; de Dominica die sic pergit; καὶ μετὰ τὸ σαββατίσαι ἑορταζέτω πᾶς Φιλόχριστος τὴν κυριακὴν, τὴν ἀναστάσιμον, τὴν βασιλίδαν, τὴν ὑπατον πασῶν τῶν ἡμερῶν. ἢν περιμένων ὁ προφήτης ἔλεγεν, εἰς τὸ τέλος, ὑπὲρ τῆς

k) coll. Rom. XV, 26. Gal. II, 10. c. IV, 9. Hebr. X, 34. Jac. II, 5. Act. XI, 29. c. XXIV, 17. &c. l) Vide de Habessinibus *Claudii Regis Aeth. Confessionem fidei*, hic ante aliquot annos cum versione Latina & notis Iobi Ludovici reculam; & plura apud ipsum Ludolum Hist. Aeth. lib. 3. c. I. num. 52. - 57. c. VI. n. 86. c. X. n. 14. 64. 65. & eiusd. Comment. p. 275-277.

τῆς ὀγδόης. ἐν ἣ ἢ ἡ ζαὶ ἡμῶν ἀνέτελε, ἢ τὸ θανάτου γέγονε νίκην ἐν χριστῷ. *Post Sabbatum vero omnis Christi amator Dominicam celebret diem, resurrectioni consecratam Dominice, reginam & maximam omnium dierum; quam expectans Propheta dicebat: In finem, pro oclaua m). In qua etiam vita nostri exorta, & mortis victoria facta est in CHRISTO.*

Verum nec dies tantum Dominica, siue prima cuiusque hebdomadis, memoriæ resurrectionis Christi dicata fuit, sed etiam mature in Ecclesia, annua maximeque solemnitas eiusdem instituta est recordatio: ea quidem cum Christianæ caritatis ac libertatis demonstratione Apostolico tempore, vt, quum expressum de hac re mandatum Christi non haberent, n) eos neque Parasceues aut ieiuniorum, neque ipsius solemnissimi diei varietas per contentionem aut discordiam distraheret; sed ipsa potius ieiuniorum diuersitas consensionem fidei commendaret; vt bene cenſebat B. Irenæus apud Eusebium Hist. Eccl. lib. V. c. 24. Nota sunt, quæ pluribus ea de re apud Eusebium l. c. cap. 13 & seqq. commemorata leguntur. Alii namque Apostolorum, vt Ioannes, & Euangelista Philippus, Pascha in memoriam Cane Dominica decima quarta luna primi mensis, cum Iudæis, in Asia celebrarunt; idque Polycarpum, Ioannis Apostoli discipulum, vidisse, modo laudatus Irenæus luculenter l. c. testatur: eosque secuti sunt viri haud pauci, pietate & doctrina præstantes, quos postea sub finem sæculi II. Polycrates, senex Asiæ s. Ephesi Episcopus, in sua ad Victorem Romanum epistola ac defensione recensuit. Neque tamen pauciores, sed plures etiam ab Eusebio adpellati, perhibent, alios Apostolos, præcipue Petrum & Paulum, propter Resurrectionis Dominice memoriam in proximum diem Solis seu Dominicum Pascha reieciſſe. Mansitque sine animorum acerbitate Pascha celebrandi libertas, tentata licet aliquoties post medium sæculi II. a Romanis Episcopis, Pio, Aniceto & Eleutero, defendentibus vero eam ex altera parte, in primis laudato Polycarpo & Meli-

m) Sic etiam Gregorius Nazianzenus Orat. XIII. p. m. 700. Ἀλλὰ καὶ ἰ μέγας Δαβὶδ τῇ αὐτῇ προσέειπεν ἰσχυρὸς πρὸς τῆς ὀγδοῦς ψαλμὸς. *Quin etiam magnus ille David eadem, Dominicæ diei, psalmos de uclaua accipere videtur. Vide Græcos Pl. VI, 1. & XII, vel sec. Græcos XI, 1. n) Conf. omnino doctrinam Hist. Eccl. lib. V. c. 22.*



Mellione, Sardenſi Epifcopo, coll. Euseb. H. E. lib. IV. c. 12. & 26. donec cum ipſo ſine II. ſæculi *Victor, Romanus* epifcopus, ἀμετρά δεγμαθῆς, ἀποιωνησίαν τοῖς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τεσσαρεσκαίδεκάτῃταις ἀπέσειλεν, immodico arrogantix vel iracundiæ *est* succensus *Quartodecimans*, qui in *Asia* erant, excommunicationis libellum miſit, quæ verba ſunt *Socrati* l. c. lib. V. c. 22. Qui tamen inconſultus *Victoris* zelus tantum abeſt, vt placuerit ceteris, cum eo alioquin idem de Dominica die ſentientibus, cordatis ac piis viris; vt e contrario *ſentire* ipſum potius ea inberent, quæ pacis eſſent, & unitatis ac dilectionis erga proximos, quidam etiam acerbius ipſum perſtringerent, interque eos præcipue *Irenæus*, vt *Eusebius* ipſius in laudem obſeruauit l. b. V. c. 24.

Ita *pacifui* *Irenæi* aliorumque animi moderatione factum tunc eſt, vt reſreſſa *Romani* præſulis inſolentia, *Aſiaticis* ſua libertas, vniuerſæ autem *Eccleſiæ*, grauiffimis perſecutionibus adhuc probandæ, neceſſaria pax interna redderetur. Quamuis (haud male) deinceps id operam dederunt, *Alexandrini* præſertim *Epifcopi*, e) mature quouis anno datis ad ſuas *Eccleſias* *ιογρας* *ιναις*, ſiue *Pafchalibus* *epiſtolis*, vt concors omnium eſſet hæc ſolemnitas. At vix ſæculo IV. per *Conſtantinum Magnum* quies externa *Eccleſiæ* contigerat, cum noxiæ illæ contentiones de *Pafchali* die vehementer etiam recrudeſcerent. Suafu tamen in primis & auctoritate tanti Principis, qui primus ex *Romanis* imperatoribus veri *Dei* & *Chriſti* maiestatem agnouit ac coluit, in ipſo Concilio *Nicano* liſ illa ita tandem compoſita fuit, vt communi omnium ſuffragio feliciter extincta videretur. Saltim qui ſequentibus temporibus veterem *Aſiaticorum* morem reducere, vel retinere voluerunt, vix etiam ſuos ſibi adſentientes repererunt, vt *Subſtiani* inter *Novatianos* apud *Socratem* H. E. lib. V. c. 21. vel & durius, ac pro hæreticis, præſertim a *Romana* *Eccleſia* habiti ſunt; vt ſæculo VI. de *Scotia* in *Britannia*, aliſque, memorant *Scriptores*. Quod tamen ne pluribus nunc perſequamur, præſentis inſtituti nos monet ratio. Et grato omnino in *Deum* animo agnoſcimus, quod tandem deſerit infelix de die aut tempore *Pafchali* contentio; nataq; proaſorum memoria in his quoq; partibus orbis diuerſitas cum ſine ſuperioris ſæculi exſpirauerit.

e) De *Dionyſio Alexandrino* poſt medium ſæc. III. vid. eatur *Euseb. H. E. lib. VII. c. 20.* & poſtea de *Theophilo* atque *Cyrillo* *Valſeus* ad *Euseb.* p. 131.

Id igitur potius faciendum nobis est, quod verbis supra iam allatis Corinthios monuit Apostolus, vt hoc festum agamus non in veteri fermento, aut in fermento malitiæ & versutia, sed in azymis sinceritatis ac veritatis. Vetus autem fermentum omnis generis vitia nominat; & azy-  
 „ma omnem ab omnibus vitiis puritatem: Ostenditque Apostolus, quod  
 „omne tempus feriarū occasio & opportunitas Christianis sit, pro-  
 „pter datorum illis bonorum excellentiam. Ob eam enim causam  
 „homo factus, & occisus est Filius Dei, vt te feriari faceret: non in  
 „fermento veteris Adami; neque in vita vitiis plena, vel, quod pe-  
 „ius est, in versutia ac dolosa mente; sed in azymis sinceritatis & ve-  
 „ritatis, hoc est in vita sincera ac vera, quæ & malitiæ atque hypo-  
 „crisis, & dolo atque versutiæ opponatur. Vel veritatem intelligere  
 „poteris ad discrimen veterum figurarum, quæ non fuerunt veritas.  
 „Vult enim Christianum veteribus figuris superiorē esse &c.  
 Quæ Theophylacti est dicti Paulini paraphrasis.

Vberius hac de re ex verbo Dei instituemini per sacras corciones, quæ festis his diebus complures habebuntur. Facite igitur, o Nostri, quod vestri officii est, quod Leges academicæ monent, & ipsa salus vestra requirit; non delinquentes etiam congregationem nostrum ipsorum, si mos quibusdam; aut corpore licet præsentis animo tamen in alia omnia intenti, vel & strepitu aut garrulitate aliis molesti; sed potius prouocantes alter alterum ad Christi amorem & obsequium & bonorum operum exercitium. Hebr. X, 24. 25. Nolite quoque inebriari vino, in quo est luxuria & acri-  
 „tia, sed ex Christi resuscitati munere Ioh. XX, 22. Spiritu sancto implemini Eph. V,  
 „18. Expurgate omne vetus fermentum, vt noua massa sitis 1 Cor. V, 7. Portas, h. e. animos vestros aperite, vt Rex gloriæ ingrediatur. Ps. XXIV, 7. 9. Apoc. III, 20. Eui-  
 „gilate, qui adhuc estis dormiētes, immo surgite ex mortuis, vt illucescat vobis Chris-  
 „tus Eph. V, 14. Dormientes autem & mortuos cū Apostolo dicimus peccatis & vitiis sur-  
 „tis immerfos: qui cum reuera mortui & alieni a vita Dei sint, CHRISTVMq; nec vt viuum agnoscant, nec apud se viuum experiantur Gal. II, 20. tamen more dormientiū nonnunquam somnia concipiunt de gratia ac fauore Dei, immo æternæ vitæ felici-  
 „tate; aut nullū prosum timorē Dei intra se sentiunt: idq; propter ignorantia, quæ pos-  
 „naturæ vitiū est in ipsis, & propter maliciosā quoq; animi obdurationē. Eph. IV, 18.

Quod si vero resurrexistis cū CHRISTO, superna quærite, vbi Christus seder ad dextram Dei. Cælestia cogitate, nequaquam terrena; sicut monet Apostolus Col. III, 1. 2. seqq. Hæc enim vera demū solemnitas est, vbi diuina beneficia, in CHRISTO nobis data, rite celebrantur; vbi omnis cogitatio & cura de rebus vitiiosis exultat, vbi clamor & tumultus locum non habet, vbi iustitia, pax & læticia in Spiritu S. in animis regnant & dominantur. Rom. XIV, 17.

DEVS autem pacis, qui Pastorem omnium, magnum per sanguinem testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum, ex mortuis reduxit, perficiat vos in omni opere bono, ad faciendam voluntatem ipsius: immo ipse efficiat in vobis, quod gratum coram ipso est, per IESVM CHRISTVM. Cui sit gloria in sæcula seculorum. Amen ! P. P. in Academia Fri-  
 dericiana ipso festo Resurrectionis die, clb. lxxxv.

Ja 1586

ULB Halle

3

001 508 687




St

VD 78

VD 78





REGIAE  
FRIDERICIANAE AC  
PRORECTOR  
**D. PAVI**  
**ANTONI**

Serenissimi & Potentissimi  
sæ in Ducatu Magdeburg. Consil.  
Theol. Prof. Publ. Ordin. nec no  
primæ Sal. Inspector

Vna cum

PROFESSORIBVS R  
CIVES ACADEM  
ad dies festos,  
MEMORIAE  
RESVRRECTIONIS  
celebrandæ destinato

Omnes ac singulos humanis  
hortatur.

HALÆ MAGDEBURG  
Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITL

